

legibus, sine judiciis, sine jure, sine fide relictam direptioni et incendiis. Itaque mihi venire in mentem nihil potest, non modo quid sperem, sed vix jam quid audeam optare. Sin autem tibi homini prudentissimo videtur utile esse, nos colloqui, quamquam longius etiam cogitabam ab urbe discedere, cujus jam etiam nomen invitus audio; tamen propius accedam. Trebatioque mandavi, si quid tu eum velles ad me mittere, ne recusaret: idque ut facias velim: aut si quem tuorum fidelium voles, ad me mittas; ne aut tibi exire ex urbe necesse sit, aut mihi accedere. Ego tantum tibi tribuo, quantum mihi fortasse arrogo: ut exploratum habeam, quid quid nos communi sententia statuerimus, id omnes homines probaturos. Vale.

#### VII. M. T. C. SER. SŪLPICIO S. D.

«Quaerenti Sulpicio, quid faciendum sit, respondet cum laude ejus, si recta sequenda, certam rationem esse; non item, si utilia: quia Caesaris causa firmior, honestior Pompeji. Longius ergo discedendum ab urbe, in qua quae fiant, turpe sit probare; non probare, periculosum. Sed quo eundem, difficilem esse deliberationem. Qua de re si colloqui velit, quam primum, rogat, adveniat.»

Ad III. kal. Majas cum essem in Cumano, accepi tuas litteras: quibus lectis, cognovi non satis prudenter fecisse Philotimum: qui, cum abs te mandata haberet, ut scribis, de omnibus rebus, ipse ad me non venisset, litteras tuas misisset: quas intellexi breviores fuisse; quod eum perlaturum putasses. Sed tamen, postquam litteras tuas legi, Postumia tua me convenit, et Servius noster. His placuit, ut tu in Cumanum venires; qui etiam mecum, ut ad te scriberem, egerunt. Quod meum consilium exquiris, id est tale, ut capere facilius ipse possim, quam alteri dare: quid enim est, quod audeam suadere tibi, homini summa auctoritate, summaque prudentia? Si quid rectissimum sit, quaerimus,